

Secundus phisicorum.

non potest cognosci a deo. Item scientia dependet ab obiecto cognoscibili sed intellectus dei a nullo dependet ergo non habet scientiam.

¶ Decimo arguitur q̄ deus non sciat infinita quia scientia dei est mensura scitorum sed infinitum non potest mensurari ergo nec sciri. Minor patet quia eius quantitas non potest cognosci. Item deus non intuetur infinita ergo non cognoscit infinita antecedens patet quia non habet scientiam visionis de infinitis quia quando aliquid videtur tunc cognoscitur principium et ultimum eius q̄ non contingit in infinito igitur. Item scientia dei est equalis sue potentie: sed deus non potest facere infinita ergo non potest cognoscere infinita.

¶ Undecimo si deus haberet scientiam de rebus tunc posset variari quia variatio vno relativorum variatur et reliquum ied scibilia possunt variari ergo et scientia dei. Item deus quandoq̄ scivit christum nasciturum et modo non scit: igitur. Item illud quod non est addiscibile non est scibile sed malum non est addiscibile: per disciplinam enim non nisi bona discuntur ergo malum non est scibile ergo non est cognitum a deo. Item qui grammaticam grammaticus sed deus non est malus ergo non scit malum.

¶ Duodecimo veritas propositionis causatur ab entitate rei ied contingens ad vtrumlibet anteq̄ ponatur in esse extra suas causas nullam habet actualitatem vel determinationem ad esse sed est indifferens ergo nullam habet veritatem et per consequens non potest sciri. Forte dicis q̄ futurum contingens presens est per respectum est ad intellectum diuinum et ideo vt sic scitur. Contra nulla res est deo causa sciendi sed futurum vt futurum non certitudinaliter cognoscitur ab aliquo ergo nec vt presens certitudinaliter cognoscitur ab eo item non potest esse transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione rei si ergo deus nunc scit antichristum fore et potest nunq̄ sciuisse antichristum fore ex quo futurum contingens potest non euenire ergo deus potest mutari. Item omne eternum est necessarium et similiter preteritum: si ergo deus ab eterno sciuit res fore sequitur q̄ omnia de necessitate euenient quia si res possent absolute non euenire ergo deus posset absolute decipi. Item si dei prescientia non tollat contingentiam ergo sciat fortem posse non currere et tamen deus sciuit q̄ curret ponatur ergo in esse scz q̄ non curret et tamen deus sciuit oppositum tunc sequitur manifeste q̄ deus errat quia scit falsum.

¶ Tertio decimo arguitur q̄ deus non habet providentiam de rebus quia res naturales sunt de se determinate ad vnum ergo non indigent providentia. Item quedam sunt contingentia que non possunt mutari vt quolibet est vel non est igitur. Item creature sunt causa peccati ergo non providentur a deo tenet consequentia quia nichil prouisum a sapiente est corruptiuum boni et effectus eius quia alias sapiens contrariaretur sibi ipsi eadem destruens et edificans vt si per suam providentiam ordinat ignem ad corrupendum aquam et aquam ad corrupendum ignem. Item defectus non prouidentur a deo ergo corruptiones rerum non sunt diuine providentie antecedens patet quia providen-

tie non est naturam perdere. Item corruptiones sunt quedam mala que non sunt a deo igitur. Item non est prudens qui sustinet aliquod malum si potest illud impedire sed deus permittit multa mala igitur. Sed dicis q̄ permittit mala quia potest ex eis elicere bona sed contra maiora bona posset elicere ex bono q̄ ex malo igitur. Item non sunt facienda mala vt eueniant bona igitur deus sua prouidentia non regit mala. Item videmus ignem comburere domum iusti hominis et pauperis et cecum cadere in foueam ergo quo ad hoc deus non habet de eo prouidentiam. Item tunc apud nos essent plura bona q̄ mala cuius oppositum videmus et patet quia sunt aliqua bona et cum hoc ex quolibet malo elicitur bonum ergo sunt plura bona.

¶ Quartodecimo si deus haberet omnium prouidentiam tunc nichil a casu accideret quia omnia essent a deo intenta. Item malum culpe maxime displicet deo si ergo deus prouideret omnibus deberet tale malum excludere. Item brutis animalibus multa accidunt que non ordinantur in bonum eorum neq̄ in hac vita neq̄ post ergo non prouidentur a deo. forte dicis q̄ non prouidentur a deo immediate sed mediantibus angelis contra tunc cursus rerum naturalium non impediretur quia vel hoc esset angelo volente vel nolente. Si primum tunc male prouideret rebus. Si secundum angelus tristeretur.

¶ Quintodecimo prouidentia pertinet ad prudentiam sed deus non agit per prudentiam ad extra probatur sic quia prudentia est circa agibilia que non progrediuntur extra agentem illa autem que sunt a deo sunt extra ipsum ergo sunt factibilia. Item ad deum pertinet aliquos reprobare hoc autem non pertinet ad prouidentiam immo sibi contrariatur quia per reprobationem res ordinantur in penam eternam non autem per prouidentiam. Item Aristoteles in libro de bona fortuna dicit q̄ si dicamus homines bene fortunatos esse a deo cum mali aliquando sint bene fortunati tunc faciemus deum iudicem prauum deum tamen inquit non est verisimile prauorum curam habere. Item sic quelibet actus hominis est prouisus ergo liberum arbitrium stante diuina prouidentia non se habet ad vtrumlibet. Item deus secundum Aristotelem agit necessitate nature vt sibi attribuunt Scotus et Gregorius si ergo omnium haberet prouidentiam tunc omnia de necessitate euenient alias deus erraret: si enim necessario sit a fore necessitate nature et a impeditur per agens naturale ergo deus errat: sed dicis tunc deus non indicauit a fore. Contra ergo non indicauit a fore necessitate nature sed libere.

¶ Sextodecimo quicquid potest esse deus est deus sed sciens antichristum non fore non est deus ergo impossibile est q̄ sit deus. Item scire antichristum fore non est perfectio simpliciter ergo non conuenit deo antecedens patet quia alias deus necessario absolute sciret antichristum fore vel forem peccaturum. Item omne immutabiliter scitum immutabiliter eueniet si ergo deus scit res immutabiliter ergo immutabiliter et de necessitate euenient. Item oppositum predicati huius omne scituz a deo necessario eueniet repugnat subiecto ergo ista est vera. Item si deus posset scire oppositum eius